



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 133. Decimæ a Papa petitæ, & a Germanis denegatæ

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](#)

§. CXXXIII.

Secul. XV.  
A.C. 1472.

Decimæ a Papa petitæ & a Germanis denegatæ.

Interea Sextus Pontifex, cum per Regna & Provincias ablegasset viros, qui decimas in usum belli contra Turcas colligerent, simul in eos, qui aliquid ex iisdem furtive subtraherent, anathematis poemam intentabat. Verum Germani, pluresque alii haec subsidia praestare adeo pertinaciter renuebant, ut potius omnes ad Synodi sententiam provocare parati essent. Nihilominus summus Pontifex Thomæ Archiepiscopo Cantuariensi S. R. E. Cardinali negotium dedit, ut Robertum Stilingtonem Episcopum Bathoniensem unacum complicibus excommunicatos publice denuntiaret, eoque Prosperum Protonotarium & Sedis Apostolicæ Nuntium, qui pecunias Cameræ Apostolicæ debitas in Anglia colligebat, in carcerem conjectisset. Attamen Robertus, cum plurimum turbarum auctor, ac insuper ob perduellionis crimen ad judicium vocatus esset, ad Academiam Oxoniensem tanquam ad asylum se contulit, sed inde extractus, toto vitae suæ tempore in arcta custodia detenus est. Praeterea summus Pontifex juxta Prædecessorum suorum exem-

Krantz. 13.  
Wandal. 4.  
Reg. Sixt.  
apud Bzov.  
hoc anno,

D d 5      pla

Sæcul. XV. pla ad Siciliæ Regnum quosdam ablega-  
A.C. 1472. bat, qui monasticæ disciplinæ inspectio-  
 nem haberent, ac ibidem Religiosos ad  
 primævum instituti rigorem revocarent.  
 Denique privilegia Monasterii ad S. Sal-  
 vatorem Ordinis S. Basilii, quod extra  
 Messinæ mœnia situm est, rata habuit,  
 confirmavitque.

## §. CXXXIV.

*Scotorum Optimatum conatus ad-  
 versus Legationem Archiepi-  
 scopi S. Andreæ.*

**Buchanan.**  
*lib. 12.*  
**Vide supra**  
*lib. CXII.*  
**§. 178.**

Equidem in Scotia Patricius Graamus  
 fratri suo uterino in Episcopali Sede ad  
 S. Andream successerat; verum ejus Ad-  
 versarii tot eidem opponebant obstacula,  
 ut Romam reverti compelleretur, summi  
 Pontificis auxilium imploraturus, cuius  
 beneficio Ecclesia sua non solum in Ar-  
 chiepiscopalem evecta, sed ipse quoque Se-  
 dis Apostolicæ Legatus in Scotia nomina-  
 tus erat. Nihilominus, ne Legationis sua  
 munia obiret, graviter obluctabantur Sco-  
 tiæ Proceres; metuebant enim, ne avita  
 Regnijura hujusmodi legationibus labefac-  
 tarentur. (\*) Tantum valuere eorum que-  
 relæ

(\*) Quales autem fuerint hi Proceres, inge-  
 nue ex Auditoribus in margine laudatis exponit  
 Spondanus dicens, adversarios sensit eos, qui  
 rede-